

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Gratitudo siue graciarum actio I  
cum fonte primo

Si bene merentibus aliena gracia non respondet,  
merces tamen sua uirtuti non deerit,  
que potius fructus lucra satis habet simpliciter,  
apud se de bono felicis consciencie testimonio gloriari.  
Neque enim subiecta est externe dispositionis arbitrio,  
sed in sua proprie puritatis maiestate consistens,  
ab indignioribus premia non requirit.

Cassiodorus in quadam epistola.

Quod si aliena bene merentibus gratia non respondet,  
merces tamen sua uirtuti non deerit,  
quae potius interioris fructus lucra considerans, satis habet simpliciter  
apud se de bono felicis conscientiae testimonio gloriari.  
Nec enim subiecta est externae dispositionis arbitrio,  
sed in sua propriae puritatis maiestate consistens,  
ab indignioribus praemia non inquit:  
ita tamen ut neque ex eis honeste provenientia respuat,  
nec pro desiderio eorum vel usu si qua novit potiora dimittat.

Arnulfus Lexouiensis, *Epistolae*, 82 (PL 201, col.109C).